Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum Moyses fuerit excellentissimus prophetarum? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Visual Library

nus prophetiæ, in quo intelligibilis veritas & ſuper-
naturalis abſque imaginaria viſione oſtenditur: quæ
tamen excedit rationem prophetiæ propriè dictæ, vt
ar. præc. ad 3. * dictum eſt. Et ideo conſequens eſt quòd gradus
prophetiæ propriè dictæ diſtinguantur ſecundum imaginariam viſionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd diſcretio luminis intelligibilis non poteſt à nobis cognoſci, niſi ſecundũ quòd iudicatur per aliqua ſigna imaginaria vel ſenſibilia. Et ideo ex diuerſitate imaginatorum perpenditur diuerſitas intellectualis luminis.

q. 171. a. 2. Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut ſuprà * dictum
eſt, prophetia non eſt per modum habitus immanentis, ſed magis per modum paſſionis tranſeuntis. Vnde non eſt inconueniens quòd vni & eidem prophetæ fiat reuelatio prophetica diuerſis vicibus ſecundum diuerſos gradus.

Ad tertium dicendum, quòd dicta & facta, de quibus ibi fit mentio, non pertinent ad reuelationem prophetiæ, ſed ad denuntiationem quæ fit ſecundum diſpoſitionem eorum quibus denuntiatur id quod pro-
q. 171. a. 1. phetæ reuelatum eſt. Et hoc fit quandoque per di-
cta, quandoque per facta. Denuntiatio autem & operatio miraculorum cõſequenter ſe habent ad prophetiam, vt ſupra † dictum eſt.

831

Ver. q. 12 a. 9. ad 2 & a. 44. Et Iſa. 6. col. 2.

ARTIC. IV.

Vtrum Moyſes fuerit excellentior omnibus prophetis?

** Innuitur in gl. or. i præf. in Prolo. B. Hie. et innuitur ex Caſsi. in Prolo. in Pſ. 1*

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd Moyſes non fuerit excellentior omnibus Prophetis. Dicit enim * gloſſa in principio Pſalterij, quòd Dauid dicitur propheta per excellentiã. Non ergo Moyſes fuit excellentiſſimus omnium.

¶ 2 Præterea, Maiora miracula facta ſunt per Ioſue, qui fecit ſtare Solem, & Lunam, vt habetur Ioſue 10. & per Iſaiam, qui fecit retrocedere Solem, vt habetur Iſa. 38. quàm per Moyſen, qui diuiſit mare Rubrum. Similiter etiam per Heliam; de quo dicitur

Eccle-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eccleſiaſt. 48. Quis poterit tibi ſimiliter gloriari, qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis? Non ergo Moyſes fuit excellentiſſimus prophetarum.

¶ 3 Preterea, Matt. 11. dicitur, quòd inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Non ergo Moyſes fuit excellentior omnibus prophetis.

SED contra eſt, quod dicitur Deut vlt. Non ſurrexit propheta vltra in Iſrael ſicut Moyſes.

RESPONDEO dicendum, quod licet quantũ ad aliquid, aliquis alius prophetarum fuerit maior Moyſe, ſimpliciter tamen Moyſes fuit omnibus alijs maior. In prophetia enim, ſicut ex dictis patet *, conſideratur reuelatio & cognitio tam ſecundum viſionem intellectualem, quam ſecundum viſionem imaginariam: & denuntiatio, & confirmatio per miracula. Moyſes ergo fuit alijs excellentior. Primò quidem, quantum ad viſionem intellectualem: eo quòd vidit ipſam Dei eſſentiam, ſicut Paulus in raptu: ſicut Auguſt. dicit * 12. ſuper Geneſ. ad literam. Vnde dicitur Numer. 12. quòd palam non per ænigmata Deum vidit. Secundò, quantum ad imaginariam viſionem, quam quaſi ad nutum habebat: non ſolùm audiens verba, ſed etiam videns loquentem etiam in ſpecie Dei: non ſolum in dormiendo, ſed etiam in vigilando. Vnde dicitur Exod. 33. quòd loquebatur ei Dominus facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. Tertiò, quantum ad denuntiationem: quia loquebatur toti populo fidelium ex perſona Dei, quaſi de nouo legem proponens: alij verò prophetæ loquebantur ad populum in perſona Dei, quaſi inducentes ad obſeruantiam legis Moyſi: ſecundum illud Malach 4. Mementote legis Moyſi ſerui mei. Quartò, quantum ad operationem miraculorum, quæ fecit toti populo infidelium. Vnde dicitur Deuteronom. vlt. Non ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis atque portentis quæ miſit per eum, vt faceret in terra Aegypti, Pharaoni,

art. præc. & ar. 1. q. 171.

lib. 12. c. 27. to. 3.

ni,

ni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius.

Ad primum ergo dicendum, quòd prophetia Dauid ex propinquo attingit viſionem Moyſi, quantum ad viſionem intellectualem: quia vterque accepit reuelationem intelligibilis & ſupernaturalis veritatis abſque imaginaria viſione. Viſio tamen Moyſi fuit excellentior, quantum ad cognitionem diuinitatis. Sed Dauid plenius cognouit & expreſſit myſteria Incarnationis Christi.

Ad ſecundum dicendum, quòd illa ſigna illorum prophetarum fuerunt maiora ſecundum ſubſtantiam facti. Sed tamen miracula Moyſi fuerunt maiora ſecundum modum faciendi: quia ſunt facta toti populo.

Ad tertium dicendum, quòd Ioannes pertinet ad nouum teſtamentum, cuius miniſtri præferuntur etiam ipſi Moyſi quaſi magis reuelatè ſpeculantes: vt habetur 2. ad Corinth. 3.

ARTIC. V.

Vtrum aliquis gradus prophetiæ ſit etiam in beatis.

832
Su. q. 173 art. 1. co. Et 3. q. 7. a 8. cor, Et 1. Co. 13. lect. 3 co. 1.
**ar prec.*

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd aliquis gradus prophetiæ eſt etiam in beatis. Moyſes enim, vt dictum eſt *, vidit diuinam eſſentiam: qui tamen propheta dicitur. Ergo pari ratione beati poſſunt dici prophetæ.

¶ 2 Præterea, Prophetia eſt diuina reuelatio. Sed diuinæ reuelationes fiunt etiam angelis beatis. Ergo etiam angeli beati poſſunt dici prophetæ.

¶ 3 Præterea, Chriſtus ab inſtanti conceptionis fuit comprehenſor. Et tamen ipſe prophetam ſe nominat, Matt. 13. vbi dicit, Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua. Ergo etiam comprehenſores & beati poſſunt dici prophetæ.

¶ 4 Præterea, De Samuele dicitur Eccleſ. 46. Exaltauit vocem eius de terra in prophetia, delere impietatem gentis. Ergo eadem ratione alij ſancti poſt mortem poſſunt prophetæ dici.

SED

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN